

---

 SENTIUS AUGURINUS

Canto carmina versibus minutis,  
 his olim quibus et meus Catullus  
 et Calvus veteresque, sed quid ad me?  
 Unus Plinius est mihi priores.  
 5 Mavult versiculos foro relicto  
 et quaerit quod amet putatque amari.  
 Ille o Plinius, ille quot Catones!  
 I nunc quisquis amas, amare noli!

---

 C. PLINIUS CAECILIUS SECUNDUS

Cum libros Galli legerem, quibus ille parenti 1  
 ausus de Cicerone dare est palmamque decusque,  
 lascivum inveni lusum Ciceronis et illo  
 spectandum ingenio quo seria condidit et quo  
 5 humanis salibus multo varioque lepore  
 magnorum ostendit mentes gaudere virorum.  
 Nam queritur quod fraude mala frustratus amantem  
 paucula cenato sibi debita savia Tiro  
 tempore nocturno subtraxerit. His ego lectis  
 10 'Cur post haec', inquam, 'nostros celamus amores  
 nullumque in medium timidi damus atque fatemur  
 Tironisque dolos, Tironis nosse fugaces  
 blanditias et furta novas addentia flammis'?